

modò ad illud Subjectum applicari. Est enim Subjectio
 1.) *Alia servilis*, quæ ex imperio alterius oritur, qualis
 describitur, *1. Petr. II, 18.* cui opponitur Imperium; *Alia*
mutua, quæ non servitutis aut necessitatis, sed humili-
 tatis est, *Eph. V. 21. 1. Petr. V. 5.* cujus oppositum est Arro-
 gantia. 2.) *Alia* porrò est *civilis*, qualis est subditorum
 erga Magistratum, quam Paulus inculcat *Rom. XIII. 1. seq.*
Tit. III. 1. *Alia æconomica*, quæ vel *maritalis* est, ut uxores
 subiciantur maritis *Eph. V. 22. Col. III. 18. Tit. II. 5. 1. Petr.*
III. 1. 5. vel *filialis*, qualis parentibus debetur à filiis *1. Tim.*
III. 4. ac de CHRISTO prædicatur *Luc. II. 51.* quod fuerit
 ὑποτάσσόμενος parentibus suis. 3.) Est quoque Subjectio
alia violenta & coacta, quam invitus suscipit subjectus,
 sicut creatura vanitati subjecta dicitur præter volunta-
 tem, *Rom. VIII. 20.* & Diaboli hoc modo CHRISTO subjecti
 sunt, *Luc. X. 17.* cui subjectioni Hebræorum phrasis
 רָלַנְו תַחַת יְהוָה respondet, quam per ὑποτάσσειν ὑποκάτω
 τῶν ποδῶν versio τῶν ὀ reddidit, *Psal. VIII. 6.*; *alia libera*, vo-
 luntaria ac jucunda, quæ ante lapsum etiam locum habu-
 issent; Neque enim genus humanum in statu integrita-
 tis usque adeo ἀναρχον futurum fuisset, sed potius ibi-
 dem quoque imperium *Patrium* in liberos, *Maritale* in
 uxorem, *1. Cor. XI. 9.* *Civile* in juniores & inferiores locum
 invenisset. Vid. *Gerhardus L. de Magistratu Pol. §. 26. & in Com-*
ment. in Genesim c. III. p. m. 116. Meisner. Anthropol. Dec. I. Disp. I.
§. 49. qualis etiam in Angelis datur *2. Petr. III. 22.* atque
 in veris Christianis reperitur, *Eph. V. 24. Jac. IV. 7.* qui
 εἰν ὑποταγῇ τῆς ὁμολογίας DEO serviunt. *2. Cor. IX. 13.* Præ-
 terea Subjectio 4.) *alia totalis* dicitur, quando hostes ple-
 nariè prostrati & devicti sunt, *alia partialis*, quando ex
 parte saltem eorum potentia imminuta, ut tamen ad-
 huc